In Comitiis Comitiorum

Dr Beale Joh: procan: Modr Dr Sterne Jes: Resp:

Dr Cumber Trin
Dr Sancroft Eman
Dr Lany Pembroc:
Dr Love Corp Chr:
Dr Martin Regin



Licet Sacerdoti civilem potestatem exercere.

ERgò Sacerdoti vetitum sibi sumere fasces?
Aroni quoque *virga* fuit. Nec Clerus honores
Civiles obeat? Sed enim quoque *floruit* illa.
Et licet, & fas est: sileant tua murmura, Core.
In populi causas meritò commissa potestas
Pontifici; nimiúmq; sibi non vendicat Aron.
Tu tamen interea *nè sævi magne Sacerdos,*
Qui rapis injustum nullo cum limite regnum,
Qui geminos Petri gladios sine numine vibras
In *Malchum*, in *Regem*. Desiste, ensémq; reconde.
Non Petro in Reges unquam concessa potestas,
Non illi imperium mundi, tripléxque corona,
Nec tibi sorte datum. Sellâ descende curuli:
Disce pati dominum, & *sceptro* submittere *claves:*
Saltem ultra proprium pennas nè extendito nidum.
At quia Papa sibi *nimios* assumit honores,
Ergóne Presbytero, mi frater Episcopomastix,
Concedis *nullos?* In Præsule nulla potestas
Civilis gladii? Verbi cui sufficit *ensis*
Scilicet! Usque adeò populo sub judice nostra
Res cadit, & fatis urgemur Clerus iniquis.
Suspicor invidiam zeli sub veste latentem.
Cur etenim fasces hierarchia sacra recuset?
Ferrum acuit ferrum, atq; ensis micat ense, magísq;
Gemma magistratûs doctrinæ fulget in auro.
Est & Doctori sua purpura: Clericus ordo
Civilem haud *ambit*, sed nec *contemnit* honorem.
Qui *pacem* in cœlis, æternáque fœdera sancit,
Quidni etiam in terris queat *irenarcha* vocari?
Quíque *animas* curat, quidni vel *corpora* servet?
Hoc neque relligio prohibet, nec Pagina sacra,
Nec natura negat. Divina humanáque *jura*
Ut bene conveniunt, adeò non *munera* pugnant.
ERGO
Idem rex hominum poterit, *Phœbique Sacerdos*
Esse; magistratus populíque, Deíque minister.

Peccatum est adequata causa odii Divini.

M*Vsa mihi causas memora, quo numine læso,*
Invisum Superis degit in orbe caput?
Chara Deûm soboles, Cœli atque Parentis imago,
Diis odio, dum non degener, esse potest?
Unde odium? *tantáne animis cœlestibus ira?*
Protinus Urania est sic mihi visa loqui,
Quisquis es, in cœlis odii nè semina quæras:
Hîc etenim floret nil nisi pax & amor.
Nectar & ambrosia hîc, & flumina mellis abundant:
Nullus at hîc fontem succus amarus habet.
Nostris moly scatet, scatet & nepenthes in hortis:
Nulla venenosa hîc obtinet herba locum.
Non hîc ulla mali labes, nec origo nocendi:
Aten præcipitem misit ab axe Deus.
Sunt cœlo nubes, sed mittit terra vapores:
Tolle hos, atque aër indè serenus erit.
Ira Dei flagrat vitii de fomite: tolle
Hoc, & qui superest ardor amoris erit.
Totus, totus amor Deus est: nihil ille nec odit
Nec punit, præter crimina; & illa nihil.
Non, nisi cùm *peccant homines, sua fulmina mittit*
Juppiter; & *claudi* sunt opus illa fabri.
Ante facem raptam sceleratáque furta Promethei
Nondum Pandoræ pyxis in orbe fuit.
Utq; aquila infelix, Superûm dum altaria fumant,
Sacrilego raptam cùm tulit ungue facem;
Ipsa suos nidos aram facit, ipsa sacerdos,
Ipsa fit invito victima sæva Deo:
Haud aliter crudelis homo sibi funeris author,
Incendítque suos (heu miser!) ipse rogos.
Indulgens *Pater* est: nihil & mansuetius *Agno:*
Denique cœlestis felle *Columba* caret.
Ergò aliunde odii potiùs ducatur origo:
Nè meritò inveniat, quod malè quærit homo.
Arbor enim mortis non nascitur in Paradiso:
Ejus radicem reprobus intus habet.

Beale [William Beale. DD 1627 Master of St. John 1633-34. Vice Ch. 1634-35]. [1635].
Sterne [Richard Sterne Master of Jesus 1633-44. DD 1635].
Cumber [Thomas Comber Master of Trinity 1631-45].
Sancroft [William Sancroft. Master of Emmanuel 1628-37].